



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1351 usque ad annum 1414

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118278**

§. 21. Quæstiones de augustissimo Sacramento.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66293](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66293)

Sæcul. XIV.  
A.C. 1371.

p. 1113.

censis, Cardinalis de S. Eustachio. Undecimus, Guilielmus Noëlletus e diœcesi Engolismensi, anno 1365 Tolosæ inter Doctores Juris relatus, postmodo Canonicus Bajocensis, & Auditor sacri palatii, anno 1366 Constantinopolim ad reconciliandas Ecclesias missus, Archidiaconi Carnutensis munere fungebatur, quando appellatus est Cardinalis de S. Angelo. Ultimus, Petrus Vergnius, in Tutelenfi diœcesi natus, Cesseronius Doctor Juris Pontificii, anno 1368 Vaurenfi concilio ut Narbonensis Canonicus adfuit, & Archidiaconum Rothomagensem agebat, cum nominatus est Cardinalis de S. Maria in via lata. Hi tres posteriores erant Auditores sacri palatii, & Papæ Gregorio a supplicibus libellis. Habes duodecim Cardinales decretos 6 Junii anno 1371.

p. 1116.

§. XXI.

*Quæstiones de augustissima Eucharistia.*

Nicolaus Emericus Dominicanus Theologiæ Doctor, ac per Arragoniam Inquisitor Papæ Gregorio indicavit, hoc in regno quosdam Religiosos e suggestu sacro protulisse has tres propositiones:  
I. Si consecrata hostia cadat in coenum, locum-

*Direct. Inquis. p. 44.*



locumve sordidum, quamvis maneant species, corpus Domini desinit ibi esse, ac eo redit substantia panis. II. Idem fit, si hostiam corrodat, vel devoret animal. III. Pariter, si homo species consumat in ore suo, Christus non venit in stomachum, sed in coelum abit. Inquisitor Papæ exposuit has propositiones posse offensionem esse, ac expetiit inhibitionem, ne dicerentur ad populum. Gregorius præsentibus tunc novos Cardinales Petrum Flandrinum de S. Eustachio, & Guilielmum Noëletum de S. Angelo iussit hac super re scribere Archiepiscopis Tarraconensi, & Cæsaraugustano, eorum Suffraganeis, harumque provinciarum Inquisitoribus. Illi suis in litteris ajunt: Ex Papæ mandato vos monemus, nequem sinatis istarum propositionum aliquam enunciare pro concione, alioquin ipso facto incursum in pœnam anathematis. Significamus etiam Papæ nomine, hunc idem interdixisse Fratri Joanni Delaunio Ordinis Minorum sæpe harum propositionum aliquas publice vestris in templis elocuto. Dabant Villæ Novæ (quæ dicitur Avinionensis) 8 Aug. 1371.

Notandum, Papam non prorsus damnasse hæc tria dicta, sed tantum prohibuisse, ne palam spargerentur e pulpitis, quod imbecillos animos possent offendere. Et vero de mysterio Eucharistiæ

*Hist. Eccles. Tom. XXIV.*

R. Do-

Sæcul. XIV.  
A. C. 1371.

Vad. 1371.  
n. 14. 15. 66.



**Sæcul. XIV.**  
**A.C. 1372.**  
**Lib. 5. dist. 19**  
**3. p. q. 80. n. 1.**  
**ad 3.**

Doctores quidam indigne loquebantur; inter alios Wicleffus, qui tunc in Anglia incipiebat dogmata diffeminare. Propositiones, de quibus agitur, poterant, ut in se sunt, adhuc haberi problematicæ, ac de illis in utramque partem disputare licebat. Magister Sententiarum inquit: Possumus dicere, animalia non accipere corpus Christi, quamvis hoc accipere videantur. Quid ergo accipit forex, aut quid comedit? Deus scit. At ex mente S. Thomæ hoc in casu substantia corporis Christi non definit esse sub speciebus, quamdiu manent: atque ista opinio plus valuit in scholis catholicis.

## §. XXII.

*Apostolica expeditio in Bosnia.*

**Rayn. 1372.**  
**n. 32.**

Cum Lasco Moldaviæ Dux ejurato Græcorum schismate de suo ad Ecclesiam Romanam reditu Papæ scripsisset: hic illum per epistolam 25 Jan. 1372 datam hortatus est ad constantiam, & ut conjugem quoque suam in schismate pertinacem ad Ecclesiæ sinum reduceret. E multis litteris per annum eundem scriptis apparet, Fratres minores strenuam dedisse operam adjungendis Christo hæreticis, ac schismaticis propin quarum regionum, scilicet Bosniæ, atque Rasciæ.

Hujus